

G An si Iouis summa potestas est, etiam Victoria dea debuerit existimari.  
Caput XVII.

**A**N forte dicunt, quod deam Victo-  
riam Iuppiter mittat, atque illa tan-  
quam regi deorum obtemperans, ad  
quos iusserit, veniat, & in eorum parte confi-  
dat? Hoc vere dicitur, non de illo Ioue, quem  
deorum regem pro sua opinione cōfingunt,  
sed de illo vero rege seculorum, quod mittat  
non Victoriā quæ nulla substantia est, sed  
angelum suum, & faciat vincere quem vo-  
luerit: cuius consilium occultum esse potest,  
iniquum esse nō potest. Nam si victoria dea  
est, cur non deus est, & triumphus, & victo-  
riæ iungitur vel maritus, vel frater, vel filius?  
Talia quippe isti de dijs opinati sunt, qualia  
si poetæ fingerent, atq; à nobis exaggeraren-  
tur: responderent isti, ridenda esse figmenta  
poëtarum, non veris attribuēda numinibus:

H & tamen se ipsi non ridebant, cum talia deli-  
ramenta non apud poetas legebant, sed in tē-  
plis colebāt. Iouem igitur de omnibus roga-  
rent, ei vni tantummodo supplicarent. Non  
enim se misisset victoria, si dea esset sub illo  
rege, & posset & audere resistere, & suam po-  
tius facere voluntatem.

a Exaggerentur. Legendum, exagitantur.  
b Non enim se misisset victoria. Sic in veteri-  
bus: Non enim quod misisset victoriam, si dea  
est, & sub illo rege est, possit ei audere resistere, &  
suam potius facere voluntatem. A pertius esset, si sic  
legeretur: Non enim si quod misisset victoriam, si ea  
dea sub illo rege est, possit vel audeat ei resistere. Et  
Porphyrus in ratione naturali deorum, Iouem scri-  
bit fingi solitum sceptrum tenentem læuā, dextra  
vero modo Aquilam, modo Victoriā. Illud quoniam  
ceterorum deorum dominus, ut auiū Aquila,  
Victoriā autem quoniam illi vniuersa subie-  
cta sunt, vel vt Purnutus interpretatur quoniam  
nihil est à quo possit vinci.

Felicitatem & fortunam qui deas  
putant, qua ratione fecerunt\*†.  
Caput XVIII.

\* fals, se-  
cernunt.

**Q**uid quod & felicitas dea est? æ-  
dem accepit, aram meruit, sacra ei cō-  
grua persoluta sunt: ipsa ergo sola co-  
leretur? Vbi enim ipsa esset, quid boni nō es-  
set? Sed quid sibi vult, quod & Fortuna dea  
putatur, & colitur? An aliud est felicitas, a-  
liud fortuna? Quia fortuna potest esse & ma-  
la, felicitas autem si mala fuerit, felicitas nō  
erit. Certe omnes deos vtriusque sexus, si &  
sexus habent, non nisi bonos existimare debe-  
mus. Hoc Plato dicit, hoc alij Philosophi,  
hoc excellētes reipublicæ, populorumque re-  
ctores. Quomodo ergo dea fortuna aliquan-  
do bona est, aliquando mala? An forte quan-  
do mala est, dea non est, sed in malignum de-  
monem repente conuertitur? Quot sunt ex-

go deæ istæ? Profecto quotquot sunt homi-  
nes fortunati, hoc est, bonæ fortunæ. Nam cū  
sint & alij plurimu simul, hoc est, vno tempo-  
re malæ fortunæ, nunquid si ipsa esset, simul &  
bona esset & mala: his aliud, illis aliud? An il-  
la quæ dea est, semper bona est? Ipsa est ergo  
felicitas, cur adhibetur diuersa nomina? Sed  
& hoc ferendum est. Solet enim & vna res  
diuersis nominibus appellari. Quid diuersæ  
ædes, quid diuersæ aræ, diuersa sacra? Est cau-  
sa, inquit, quia felicitas illa est, quam bo-  
ni habent præcedētibus meritis. Fortuna ve-  
ro quæ dicitur bona, sine vllō examine me-  
ritorum fortuitu accidit hominibus & bonis  
& malis, vnde etiam fortuna nominatur.  
Quomodo ergo bona est, quæ sine vllō iudi-  
cio venit & ad bonos & ad malos? Vt quid  
autem colitur, quæ ita cæca est, passim in  
quoslibet incurrens, vt suos cultores plerun-  
que prætereat, & suis contemptoribus hæ-  
reat? Aut si aliquid proficiunt cultores eius, L  
vt ab illa videantur, & amentur: iam merita  
sequitur, non fortuitu venit. Vbi est ergo de-  
finitio illa fortunæ? Vbi est quod à fortuitis  
etiam nomen accepit? Nihil enim prodest  
eam colere, si fortuna est. Si autem suos cul-  
tores discernit vt profit, fortuna non est. An  
& ipsam, quò voluerit, Iuppiter mittit? Co-  
latur ergo ipse solus. Non enim potest ei iu-  
benti, & eam quò voluerit, mittēti fortuna re-  
sistere. Aut certe ipsam mali colant, qui no-  
lunt habere merita, quibus possit dea Felici-  
tas inuitari.

**Q**uid quod & Felicitas dea. A edis huiusce  
deæ meminit aliquoties Plinius. Simulacru  
eius Archelao placæ locatum est à L.  
Lucullo festertis, lx. Plinius lib. xxxv. b Quid Fortune  
diuersæ ædes. Edes malæ Fortunæ & detestatæ  
in Exquilis. Edes Fortunæ fortis in ripa Tiberi-  
na, equestris iuxta theatrum. Erat & templum For-  
tunæ paræ, & aliud virginis Fortunæ, aliud Pri-  
migeniæ, aliud Obsequentiæ ad Capenam, & Pri-  
uatæ, & Vilcatæ, & Publicæ, & virilis, & Conuer-  
tentis in palatio, & bene sperantis, & auertentis, &  
blandæ & dubiæ in Auentino, & māmofæ in duo-  
decima regione, & Barbatæ, & muliebris: quibus  
omnibus principium dedit Seruius Tullius, quod  
ab ea ex seruo in regnum esset euectus, tum etiam  
prospiciens eam occasionibus rerum plurimum ha-  
bere in vtrāq; partem momenti: sicut Plutarchus  
inquit in problematis, omni que in re humana do-  
minari. c Sine vllō examine. Saltem nobis cog-  
nito: ideo causas non habere dicitur, quod eæ à  
nobis ignorantur: sicut Aristoteles, & Platonici.  
Speusippus motum ab oculo in occultum fortun-  
nam esse finit. De hac plura Aristoteles secundo li-  
bro physice auscultationis: & libello de bona fortun-  
na, qui pars est moralium voluminum. d Quæ  
ita cæca est. Aristophanes hoc felse in Pluto, qui  
est opum deus: quod argumentum transiit Lu-  
cianus in suum *μωροειδοποιου*. e An & ipsam quò  
voluerit. Sic Aristophanes, qui dicit Plutum, cum  
mittitur à Ioue ad bonos, claudum esse: cum ad ma-  
los, celerimum.

De fortuna